Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1481
Quelle:
Copyright:

Folior. 134. 4. non una manu exaratus et rubricis distinctus exhibet: I. Expositionem in *Apocalypsin*, cui calamus paullo recentior inscripsit: *Jo: Wiklef in carcere anno* 1390. Commentatum fuisse *Wiclefum* in *Apocalypsin* testantur *Baleus*, *Tannerus*, et qui ad *Codicem* nostrum provocat, *Simlerus*, quamvis aliud Commentario initium statuant; secundum illos enim infit: *Sanctus apostolus Paulus dicit* &c. secundum nos vero: Prooemium quidem: *Opus arduum valde Appocalipsin videlicet domini nostri ihesu christi ipsius gratia inspirante sumpsi explicandum* &c. Expositio autem: *Appokalipsis ihesu cristi. Traditurus Johannes misteria sibi per angelum reuelata ecclesie katholice* &c. Quis igitur recte? Vel dicemus, *Wiclefum* bis in eundem Librum scripsisse? Eum jam Magnatum et adsecla-rum patrocinio, jam ficta revocatione, jam ipso commoto *Angliae* statu carceres semper effugisse narrant vitae ejus Scriptores, ut habes in *Biographia Brit. Vol.* VI. P. 1. a *pag.* 4257. At ille in *Prooemio* nostro ita παραλληλως: *Jobannes relegatus in insulam, que dicitur pathmos, hanc sanctam vidit et scripsit prophetiam. Ego ergastulo carceris deputatus ac duplici compede kathenatus ad ipsius* (Deest *tendo*, quod habet *Cod.* sequens) *interpretacionem. Ille a domiciano tyranno, ego ab anticbristo tollero persecucionem. Ille exilium sortitus est propter verbum dei et testimonium ihesu cbristi, ego, quod tollero, pacior propter predicacionem euangelij* &c. Addit: se *iam vere solitarium mansisse per triennium et vltra.* Quis iterum recte? An *Wiclefus* se in spiritu solum *duplici compede kathenatum* vidit? Quod vero annum 1390. *in carcere* egerit, ut habet memorata inscriptio, falsum norunt, qui eum jam a. 1384. vivis exemtum meminere. Discutiant haec, quibus lubuerit. Ceterum Expositio tota *Wiclefum* loquitur, et finit: *contra omnes aduersarios ignominie crucis sue finaliter triumphabit. Amen.*

II. *fol.* 131. ἀνεπιγραφως habetur Expositio C. III. *Isaiae* versiculatim: *Auferet ab ierusalem et a iuda validum et fortem* &c. *Mistice. Auferet dominus a ierusalem i. a religioso, et a iuda i. a secularibus, uel a clericis et laicis validum ad paciendum et fortem ad bellandum* &c. Vocibus rarius occurrentibus, puta: *Annulos*, *Torques*, *Monilia*, *Discriminalia*, *Periscelides* &c. additae sunt Glossae *bohemicae*, et *Versus* memoriales in *Apocalypsin* ex *Epitome* metrica Bibliorum, quae *Alexandro de Villa Dei* tribui solet. An porro *Wiclefus* separatim in hoc *Isaiae* caput commentatus sit, an Fragmentum istud ad ejus *Glossas Scripturarum* a *Baleo*, *Tanneroque* memoratas pertineat, ignoro.